





DISPUTATIO II.  
Centuriæ Quartæ.

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM  
*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ*  
Proposita:  
PRAESIDE  
M. IACOBI MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE  
VLRICO VOLMARO  
Halens. Saxo.

*Ad 20. Ianuar. horu à 6. matutinū in auditorio col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE  
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellwigii Bibliop. [Anno 1608.]

46



## QVÆSTIO I.

Cur in secunda figura medium tam in maiore, quam in minore sit prædicatum?

**R**etor is + esto, vela pandere, nostra dicendi ratio arctior est & contractior, nec veritas semper verborum multiloquium patitur, sed quo magis nuda prostituitur, eò magis falget & elucescit. Quare absque verborum pompa & splendore, sine sermonis ornata & vestita, omissis locutionum anfractibus & ambagibus rationes quæsui, ut & sequentium breviter in medium profirmus & proponimus. Precipue autem inser illas sequentes esse videntur.

1. *Quia qualibet figura peculiarem mediū termini collocationem & positionem sibi vendicat.* Is vero tripliciter duntaxat variari potest: vel enim semel subjicitur, & semel prædicatur, vel bis subiecti locum tenet; vel denique bis prædicatum occupat & constituit. Priora duas variationes sibi prima & tertia assignat, ultima itaque media relinquitur. Non moramur hic eos, qui quartum medii possum ad invenerem, ut semel prædicetur & semel subjiciatur, quippe qui positus naturalem illationis vim evexit. 2. *Quia regula consequentiae hujus figure propria, seu principium, uti vocant, regulatum idem postulat.* In secunda namque figura semper aliquid removetur ab uno, & conjungitur cum alio, unde duo illa semper sunt inter se pugnantia. Cum ergo in secunda figura semper pugnantia, seu negativa concludantur, necesse est, ut tertium aliquid assumatur. Hinc ergo sit, ut cum medium illud de disparatis specieb. & repugnantibus dicatur, quod semper sit prædicatum, nunquam subjectum, v.g. sit concludendum Nullum avarum esse divitem; sumatur mediū egere, quod cum ab uno sit removendum, cum altero v. extremo conjungendum, aliter fieri non potest, quin bis prædicati locum obtineat, idq. in hunc modum:

Nulli divites egent:

Omnis Avarus eget:

E. Nullus avarus est dives.

A 8

QVÆ.

## QVÆSTIO II.

Quare figura illa, in qua medium ubique  
prædicatur, sit secunda?

1. Cum † in precedenti quæstione sit ostensum, quam ob causam in secunda figura medium his prædicetur, non immemo quis querere posset, cur illa ipsa figura medium inter figuræ locum occupet. Ordo autem alias statuitur triplex; 1. Perfectionis. 2. utilitatis. 3. dignitatis. Dignitatis ordo fit inter conspecies; quando licet unū ad alterius cognitionem nihil faciat, tamen unum alteri præmittitur, & quidem id quod præstantius esse videtur. Utilitas est, quando magis utilia minus utilibus præmittuntur. Perfectionis ordo requirit, ut ea, quæ & perfectiora, & à quibus alterius cognitio dependet & perficiuntur priori loco tradantur. Hunc itaque ordinis gradus ultimum si respiciamus, non inconvenienter ad nostrum ſcholasticum applicare possumus.

2. Secunda † enim figura cum primâ multo imperfectior fit, priorem locum mereri nequit. Perfectio vero & imperfectio harum figurarum in eo consistit, quod prima figura omnis generis quæstiones & problemata tam universalia affirmativa & negativa, quam particularia affirmativa & negativa, sub quibus & indefinita continentur, concludat. Deinde prima norma est ac regula omnium imperfectorum syllogismorum in reliquis figuræ collectorum. Regulam autem prius notam esse oportet, ut cetera per eam cognoscantur Crel. in Ilagog. Log. lib. 3. cap. 7. Præterea prima figura syllogismi habent non solum necessitatem illationis sed & evidentiam necessitatis, seu habent illationis necessitatem clarissimam & evidentem, cum dispositio in iis minime sit confragosa, & maxime naturalis, unde perfecti dicuntur. Goc. part. 4. problem. Log. prob. 33. Secunda vero imperfectior est, partim quia ejus syllogismi non nisi ad primam reduci perficiuntur, partim quia tantum negativa problemata concludit.

3. Quod † vero secundam & non tertiam occupet sedem, eadem ratio est, quia est tertia perfectionis: hec enim tantum particularia, secunda vero & particularia & universalia concludit problemata. Nec aliquid perfectionis tertiae accedit ex eo, quod tum affirmativè tum negativè concludat, secunda vero negativè tantum. Nam quæ magis uni-



gis universalia sunt, maiorem scientiam pariunt quae a. maiorem scienciam pariunt, perfectiora habenda & preferenda sunt iis, quæ minus scire faciunt. Cum igitur secunda figura magis universaliter concludat. Et proinde magis scire faciat, tertie particulariter concludentii, Et minus scire facienti merito præponitur. Quæ etiam causa est, quod secunda primæ postponatur, cum hoc non tam firmam scientiam pariat quam prima, ideoque Et demonstrationibus minus apta censetur.

Objicis: subjectum prius est predicator: sed tertia figura his premitit subjectum predicator: E. debet præmitti. vel: Quæ figura his premitit subjectum debet priori loco tradi: Tertia figura his premitit subjectum. Ergo. Connexionem majoris addis hanc: Ut enim subjectum s. habet ad prædicatum, ratione prioritatis: sic tertia figura ad secundam se habere deberet. Sed hoc objectum adeo non infringit nostram sententiam, ut potius eandem stabilire juvet. Si enim ex istis terminis seu subjecto & predicator, figuris prærogativa ascribenda sit, ex iisdem secundæ illa assignari deberes. Quis enim subjectum præstans prædicato esse affirmabit, cum hoc rationem formæ, illud verorationem materiæ obtineat, bac vero illa multò ignobilior & imperfectior sit. Neque ordo constructionis seu generationis, perfectionis ordini aliquid derogabit, quam nos hic respicimus.

Ex quibus & omnibus luce meridiana clarius evadit, Ramum s. sine ratione & mente ordinem figurarum pervertisse, & primam tertio, tertiam primo loco posuisse. Addit quidem rationem hanc, quod tantum subjici, & tantum prædicari sit simplicius, quam prædicari & subjici. Verum est hæc ratio adeo frigida, ut Neotherianas thermas infridare queat. Quæ enim quæso exinde simplicitas, & ex hac prioritas medio termino communicatur, cum is semper idem maneat, siue antecedat vel subjiciatur, siue consequatur vel prædicetur. Deinde Ramus sui ipsius quasi oblitus fuit in disponendis figuris, cum semper clamaret universaliora præmitri debere, non videns universalitatem primæ figuræ, omnis generis quæstiones concludentis.

### QVÆSTIO III.

An Deus sit essentialiter suus intellectus &  
sua vita?

A 2

Vtrum

¶. Verumque & ambabus amplectimur ulnis, & Deum esse suum  
in intellectum, & suam vitam. Neque id sine rationibus: 1. enim si in-  
tellectus Dei non esset sua essentia, esset ille quædam potentia super ad-  
dicta essentia ejus, illaque esset accidentis, hoc autem dicere, in Deum  
ander, absurdum, cum Deus sit alius purissimus & simplicissimus. E.  
Deus est suus intellectus, & per consequens suum quaque intelligere,  
quia intelligere, est perfectio intellectus, siigitur Deus non esset suum  
intelligere, tunc aliquid esset ejus perfectio, quod falsum & error,  
cum ille sit omnium absolutissimus & perfectissimus. 2. Ut se habet es-  
sentia ad esse, ita intellectus ad intelligere: sed essentia Dei est suum  
esse: Et etiam suum intelligere.

3. Ex quibus & sequitur alterum, Deum videlicet esse suam vi-  
tam. Probat enim Philosophus lib. 12. metaph. actum intellectus &  
intelligere esse vitam ipsam: Atqui Deus, ut jam probatum est, est  
suum intelligere; Ergo etiam est sua vita. 4. Si Deus non esset sua  
vita, esset vivens per participationem. Illud vero quod est per parti-  
cipationem, reducitur ad id, quod est tale per essentiam: quod an-  
tem per essentiam est, prius est eo, quod est per participationem: Atqui  
Deo nihil prius est, sed ille est primum Ens. E. est sua vita.

¶. Contra & objici solet i. Intelligere est quædam operatio: sed opera-  
tio progradientur ab operante; nihil autem progradientur à se. E. Deus non  
est suum intelligere. 2. Vita est eorum, que moveantur à seipso:  
Sed Deus est omnino immobilis, ut constat ex libr. 8. Physic. cap. 5.  
text. 4. Ergo Deus non est sua vita. 3. Intelligere est operatio  
vitæ, non ipsa vita: Si igitur Deus sit suum intelligere, sequitur  
quod non sit sua vita.

¶. Respondemus ad i. distinguendo inter operationem transeun-  
tem & immanentem. Intelligere non est operatio transiens ex suo sub-  
iecto in aliud, sed immanens in operante. Quæ posterior subdividitur  
in immanentem inse subsistentem, quæque eadem est cum operante,  
Deoque tribuitur: & in immanentem non in se subsistentem, quæ  
autem est operantis, neque eadem cum substantia rei. I quæ à Deo est  
aliena. Ad i. est aquivocatio in voce Matus, interdum sumitur pro  
actu Entis in potentia; libr. 3. Physic. cap. 1. text. 6. cuius respon-  
suum Deus omnino immobilis est. 2. Pro operatione, prout intellige-  
re &

¶ Vnde dicitur motus, & sic Deus seipsum movere dici analogice posse. Ad 3. intelligere quidem, quod est actus intelligentis, non est vita ejus, sed operatio vitalis, quale est intelligere nostrum, sed intelligere in se subsiens, quod est substantia intelligentis, est vita, cuiusmodi est intelligere diuinum.

## QUÆSTIO IV.

### An sic tantum uicum primum principium?

Variat hujus questionis opinio[n]es qui experti, cum ad censur. 1. disput. 5. quæst. 4. remittimus. Nos ut eam breviter expediamus, pro decisione ejusdem observanda venit ὅμοιοποία terminus Primi. Hic enim nonnunquam pro simpliciter primo, interdum pro eo, quod in aliquo ordine certo vel causarum genere primum est, acceptatur.

Priori modo si sumatur, affirmatiuam defendimus, & quidem ex hisce fundamentis: 1. Si essent plura ejusmodi principia simpliciter prima, utique in aliquo diffarent; si hoc, diffarent vel in perfectione, vel privatione & defectu; non in his: hec enim non converniunt primo principio, unde non potest aliqua perfectio convenire nisi principio, que non conveniat alteri. 2. Primum illud principium est simplicissimum: E. incommunicabile, & per consequenciam est unum, quod est Deus noster benedictus in secula. 3. Aristotelei. libr. 12. Metaph. sic colligit: Universum regitur melius per unum principium, quam per multa. Dicit enim, Entia non volunt male disponi, nec volunt pluralitatem principium: E. τὰς κοίφας οὐ εἰσιν.

In altera vero significatione si vox primi sumatur, plura principia esse in aliquo ordine seu genere cause, secundum quod sunt plura genera causarum non repugnamus. Sic tria prima principia rerum naturalium cum Philosopholib. 1. Phys. auct. agnoscimus, illæ vero cum suum esse à simpliciter primo habeant, principia simpliciter prima esse nequeunt.

QVÆ

## QVÆSTIO V.

An creatione naturæ lumine quodammodo  
videri possit ; & An eam agnoverit Aristoteles ?

1. Duplicè constat membro præsens quæsitum , de quibus singulis ordine . Ne vero quis in primo lumine impingat , status ante omnia rite informandus est . Non hic queritur de illa creatione initio temporis facta , quæ in sacra scriptura cum omnibus suis circumstantiis describitur , & non nisi in schola Spiritus sancti hauritur , quam humanum ingenium , licet omnes suos nervos intendat , nunquam indagare , aut aliquali saltem conjectura assequi posse facile concedimus ; sed de creatione absolute & generaliter sumta sermo nobis est , utrum hac aliqua ex parte acumine naturali perspici possit , eademque à Philosophorum principe agnita fuerit . Nos utrinque pro affirmativa stamus , propter sequentes rationes .

2. 1. Si tamen mens humana potest id , quod est majus imò longe maximum , etiam invenire poterit id , quod est minus : Sed mens humana Deum ipsum Ens longè excellentissimum & perfectissimum invenire potest , ex libro intellige nature , attestantibus omnium , tum Philosophorum , tum Theologorum suffragiis : E. poterit id , quod est minus , videlicet creationem . 2. Quastante , mens ulterius progreditur , sic ratiocinando : Quo quid ens perfectius & præstantius , eo paucioribus ad aliquid efficiendum eget adminiculis , quod videre est in arte & Natura : hæc enim illa , compositum semper præsupponente , nobilior , rancum materiam præsupponit : Sed Deus est Ens perfectissimum & præstantissimum : E. paucioribus ad operandum eget adminiculis , & cum longè nobilior & perfectior sit Naturæ , ne materiam quidem præsupponet , sed potius res creare & ex nihilo producere poterit . 3. Deus est infinitæ virtutis & indeterminatae potentia : E. nec materiam vel aliud subiectum in producendo aliquo opere requiret , sed ex nihilo creabit . 4. Nisi Deus esset causa rerum omnium aportet aliud dari , quod à se existat , nec causam se superiorem habeat : sed tale quid dari nequit : E. Deus erit causa omnium , & per consequens res ex nihilo creari potest . Dicis , Deum præsupponere materiam primam , sed unde hæc , num à se ipsa ? & tamen . Num per alium mecum naturalem ?

minus .



minas. E. illa à Deo. 5. Quinta ratio petitur ab ipsa Dei essentia.  
Ut enim hæc à nullo alio dependet in suo esse, ita nec in agendo alterius  
ope indigebit, sed etiam ex nihilo res producere poterit, cum modus agen-  
dis impersequatur modum essendi. 6. Sextam subministrat & suppeditat Scaliger Exerc. 3. cuius verba notatu digna huc ascribere tubet,  
que i: a sonant: Etenim si ejus nutu gubernantur omnia: id quod  
nemo mentis compos negare potest: necessario sequitur, eundem omnium fuisse effectorem. Nam si non fecit; igitur ab a-  
lio factum acceperit vel mutuo, vel commodato, vel vi vel em-  
tione, vel deposito vel locato, vel legitima successione, vel in  
vacuam venerit possessionem, vel ius tu tanquam minister aut  
servus, aut mercenarius à Domino. Quæ omnia cum meræ nu-  
gæ sint exq; impiæ( à nullo namque ante te dictum fuit unquam:  
Mundum per se existere, aut extitisse olim prius, quam à D E, O  
regeretur ) cum sapientibus sapienter sentiendum: tua disjun-  
ctio insanis relinquenda est.

Et t quid multis opus, nec enim & autoritates quoque &  
testimonia tūm humana tūm divina desunt. Sic enim olim eloquentie  
Romana parens scripsit: Deum ex operibus agnoscimus. Ut ejusmodi  
plura 1. Thusc. quæst. & lib. 2. de Natur. Deor. legenti apparent.  
August. lib. 81. de civit. Dei ita scriptum reliquit: Exceptis pro-  
pheticis vocibus, mundus ipse ornatissima sua mutabilitate, &  
mobilitate, & visibilium omnium pulcherriwa specie quodam-  
modo tacitus, & se factum esse, & non nisi à Deo fieri potuisse  
proclamat.

Quid t quod doctor gentium, Gentes ἀναπολογίτες prouun. 4.  
ciat, quod ex visilibus creatione nimirum buis universi, Deum in-  
visibilem agnoverint. Et sapientia divina exclamat: A magnitu-  
dine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum  
videri. Sap. 13. v. 5.

Atque t hæc de priori questionis membro, sequitur alterum: 5.  
Vtrum Aristoteli etiam creationis cognitio tribuenda sit? Hic  
auteres diversi in diuersam abeunt sententiam. Nos in præsentia cum  
illis facimus, qui affirmativam defendunt, eamque verosimiliorē  
statuunt, quæ partim ex ipsis Philosophi scriptis paßim educitur, partim  
aliis fundamentis stabilitur. Occurrunt autem præ ceteris sequentia A-  
ristotelis testimonia, quæ non incommodè huc adduci possunt; inter quæ

facile principem locum merebitur illud, quod habetur 2. de gen. & corr.  
cap. 10. tex. 59. οὐνεπλήρωτε τὸ ἄλον ὁ δέος ἐντελεχὺς ποιός τις  
γίνεται. Sic 2. Rhet. cap. 23. ait: Daemones etiam Dei opus esse.  
Iam vero illa una cum intelligentiis ex principiis naturalibus consta-  
re, seu per motum generationis ortum habere, quis nisi extreme  
absurdus afferet? Ergo per creationem ex nihilo. Et quid clarius pos-  
set dici illo, quod reperitur 2. metaph. cap. 1. text. 4. ubi Aristoteles  
ait: Primum in unoquoque genere esse causam ceterorum, quae sunt in  
illo genere: & tamen agit de principiis sempiternorum. Item l. 1. de  
G. t. 100. A primo omnibus tributum est esse. 12 metaph. t. 38. Ex  
Deo pendet cælum & universa natura. Quid quod idem Philosophus  
libr. 8. Phys. auct. c. 1. in vestigaturus primum motorem plurimis e-  
stendit, in causis moventiis, agentibus seu efficientibus non dari pro-  
gressum in infinitum, sed tandem in una aliqua prima causa, à qua rela-  
quæ omnes vim movendi accipiunt, acquiescendam esse, id est, Deo seu  
primo Motore, quem eodem lib. 8. variis attributis exornat. Illum  
enim ἀκίνητον seu immobilem, cap. 5. text. 44. perpetuum & aeter-  
num, cap. 6. text. 48. naturæ simplicis cap. 6. tex. 46. infinitæ po-  
tentie esse, cap. 10. perspicue afferit. Et si conceditur humani ingenii  
sagacitatem perspicuum posse, cur mentem illam schola Platonicae hoc o-  
culo privare velimus. Aristotelem enim olim Plato obingenii prestan-  
tiam, qua mortales facile superabat, ita appellare solebat. Ex quibus  
omnibus non obscurè constat, Aristotelem Deum omnium creatorem a-  
gnovisse, quod idem alii fundamento ex Aristotele pericis comprobari  
posset, quelubentes præterimus, ne theorematata supra modum excrescant.  
Plura videantur apud Scalig. Exer. 3. &c. 365. l. 9.

6. Sed + non pauci inveniuntur, qui nihil absurdius auribus  
Aristotelicis esse clamitant, quam Deo vim ex nihilo creandi attribue-  
re, idque ex sequentibus astrucre conantur.

1. Aristoteles libr. 1. Phys. cap. 4. text. 33. & 34. ut & passim  
alibi comprobatur tritum & commune illud Philosopherum decretum, Ex  
nihilo nihil fieri posse, Item d. l. text. 75. impossibile esse ex simplici  
ceter non Ente aliquid fieri.

2. Aristoteles in omni productione subjectum requirit, terminum  
a quo videlicet privationem vel contrarium, motum, locum, tempus,

prævia



præviæ dispositions, concursum causarum particularium, quæ reg nullo modo cadunt in creationem.

3. Idem lib. 5. Metaph. text. 17. definit potentiam activam per passivam, dicens, illam esse principium transmutandi aliud in quantum aliud: Et apud eum nullum potest esse agens absque paciente. Atquis hoc adversatur creationi, in qua cernimus agens sine patiente, & potentiam activam sive Passivam.

4. Philosophus 1. Phys. tex. 82. demonstrat eternitatem materiae prima hæc ratione: Quia si unquam fuisset producta, oporteres eam productam esse ex aliquo subiecto, quare ante primam materiam fuisset alia prima, & sic res procederet in infinitum, à quo natura abhorret, & à peripatetica doctrina alienum. Similiter 8. Phys. motus & temporis eternitas demonstratur. Cum itaque Aristoteles toutes materiæ primæ, temporis, motus, & mundi eternitatem in ulceat, quis credat Aristotelem concessisse creationem, quæ nulla doctrinæ ejus fundamenta labefactaret & penitus everteret.

5. Protrahunt & locum ex l. 1. de Cœlo, ubi refutat sententiam Platonis, qui facit cœlum ab aliquo principio natum, sed nunquam interitum: Omne, inquit, quod incipit esse, aliquando desinet esse: nam quod tale est, factum est ex materia, quare corruptibile est; quod autem corruptibile, aliquando corrumpetur.

6. Aristoteles non concedit infinitam virtutem in vigore: neque immediatè sine causis secundis quicquam de novo posse à Deo fieri: nec eum aliter agere actione transeunte, quam per motum & lumen cœli, nec operari liberè, sed ex necessitate naturæ. Quibus ita stancibus, non potest concedi creatio.

7. Tandem & sic rationantur: Si D E V S potest creare res ex nihilo, aut is agit liberè & contingenter, aut ex necessitate naturæ: Si contingenter, cum sit infinita virtutis, (non enim minor virtus, quam infinita sufficit ad creandum) non posset Philosophus ullam causam & rationem reddere de magnitudine, numero, perfectione & ordine rerum earum, quæ sunt in mundo: Etenim hæc omnia penderent ex libera voluntate D E I quæ si voluisset, multo plures, majores, & perfectiores res creare potuissent: sim

B 2

autem



enem agit ex necessitate naturæ & habet infinitam virtutem ad creandum ex nihilo, cum in ipso nihilo nullus sit terminus aut modus, desberet sane semper in infinitum novas rerum species efficere: nam si agit ex necessitate naturæ, agit quicquid potest: at potest in infinitum: E. C. Quamobrem cum creatione admissa, omni ex parte consequerentur incommoda gravissima contra peripateticam disciplinam, illi creationem non attribuendam censem.

7. Verum enim vero & non sunt adeo fermi eiusmodi arietes, ut nostros prosternant parietes, ideoque altiori consideratione non opus habent. Primum itaque & secundum quod atrinet, Respondemus Aristotelem in eiusmodi & similibus axiomatibus non respicere & intendere divinam actionem, sed naturalem transmutationem & generationem, quæ semper subiectum antea existens deposita & motum, locum, tempus & alias præviæ dispositiones requirit.

Ad 3. Aristoteles sapè consuevit potentiae activæ & causæ efficientis vim more Physico explicare; non quod nullam aliam potentiam causam ve præter Physicas esse putarit, cum 9. metaph. cap. 1. t. 8. concedat, aliam dari potentiam activam, præter eam, quæ per motum agit: sed quod alia ex Physicis facile innotescant.

Ad 4. & 5. dico, non implicare, aeternum esse, & ab alio superiori dependentiam habere. Quin & ipse Philosophus sempiternis quoque rebus efficientem causam adiungit, ut lib. 2. de Gen. videre est, ubi ait, Tot principia requiri in rebus sempiternis, quod sunt in primis, id est, in Elementis, nempe materiam, formam & efficientem. ubi vides, expressè ponit efficiens sempiternorum. Taceo quod vocem aeternitatis sapè opponat iis, quæ carent origine naturali, id quod de materia prima ultrò concedimus, & sic aeternam nominare possemus.

Ad 6. respondemus. Id manifestò ex Aristotele demonstrari non potest. Interdum quidem in illam inclinare videtur sententiam. Verum loquitur tum partim de rebus, prout nunc conditæ existunt: pars enim de potentia voluntate limitata. Vi ita non posse idem sit, atq. non velle.

Ad 7. Deus omnia contingenter, hoc est, libere produxit. Et certè potest dare Philosophus rationem magnitudinis, & reliquorum. Nempe quod quidem Deus omnia libertate sua produxit, libertate tamen sapientia limitata & ordinata. Quia vidit talem & non aliam magnitudinem, talem & non aliud motum rei bonum esse.

Alias rationes breviteratis causa omittimus.

QVÆ-



## QVÆSTIO VI.

### An vehemens sensile sensum vel organum lædat?

In negativam t̄ sententiam abeuntem ad sensum ipsum & irrefragabilem experientiam reducimus. Exponat is oculos soli aut alii aliqui corpori lucido: consular hac de re milites Xenophontis, qui referente Galeno l. 10. de usu part c. 3. & Diodoro Siculo l. suæ bibliothecæ, p. 1553. in expeditione Paropamisadarum per copiosam niminem iter facientes oculis vehementer sunt læsi. Quod idem, referente eodem, experti sunt captivi Dionisii Siciliæ Tyrauni, qui domum splendidissimam, calce undiquaq; illiram extruxit, in quam captivos ex obscuro & tenebroso carcere eductos subita mutatione excecarunt. Adeat is Regulum, ducem Romanorum, qui à Carthaginensibus, resellis palpebris, soli expositus & ita exercutus fuit, ut annotat Cic. in Pison. Sic Democritus Abderites Physicus, Gellio attestante, clypeo aeneo contra solem posito, radiis repercussis sibi oculorum aciem ademit.

Accedunt t̄ rationes: 1. Quia ad oculorum non facultas tantum, sed organi quoque justa dispositio & temperies requiritur, manifestum est, illa sensum lædere, quæ organi temperamentum mutare possunt, nempe sensibilia vehementiora. Sic splendidissima lux nimium dissipat visum, spiritusq; visivos disaggregat, unde insequitur mutatio proportionis, quæ inter objectum & organum requiritur. Eadem ratio est in ceteris sensibus. Atque hoc est, quod Philosophus lib. 2. de anim. text. 123. ait: vehemens sensile sensum lædere, propterea quod instrumenti vires dissolvat. Et alio in loco dicit, quod sensus sit quadam ratio, quæ & ab eo, quod nimium, & quod parum est, cœrumpatur: sicut in symphonio fit, quæ si chordæ vehementius pulsantur, vel nimium intendantur, vitiari solent. 2. Omnes naturales actiones eō tendunt, ut ea, in qua agunt, sibi similia reddant. Idem quoque (ut maneamus in eodem exemplo) fieri in actione lucis certum est, quæ similia sibi efficere nitens patientia, materiam adorans, in qua essentia ipsius rei consistit, extenuatione & inflammatione eam perimit. Ita videmus à motu rapido affici oculos, si vel præcipitem torrentem vel rotam figuli aut moletrine celerius motam aliquandiu assificant:

B 3.

Eodem



Eodem enim motu moveri putant alias res immobiles ad ipsas conversi.  
Vnde non obscurè, visum aliquid passum esse concluditur.

3. Solent tamen autem alii per negativam partem ita insurgere: i. Intensionale & spiritale tantam vim agendi non obtinet, ut lacerare possit. Atqui species sensibilis est intentionis lumen; E. 2. Potentia sensitiva naturaliter ad objectum suum fertur: verisimile igitur est, eò magis potentiam perfici quo magis objectum recipit. Ad quod enim aliquid naturaliter fertur, ab illo & in illo sui conservationem querit & expedit.

Sed resp. ad i. Omne vim agendi speciebus propter spiritualitatem suam denegari non posse. Afficit n. sensorium. Manifestum hoc est in lumine, quod licet sit Ens intentionale, nihilominus tamen peculiare in rebus parentiam obtinet, quia calefacit, disgregat, rarefacit, &c. Ad 2. refertur potentia sensitiva ad objectum, illudque appetit, verum non qualemque; sed ad aquatum, & quod ipsi organo in proportione responderet.

### QUÆSTIO VII.

An Legati munera accipere possint?

Et oraculis divinis & historiarum monumentis, ad quæ quo idicatio omnium magistra experientia accedit, constat & certum est, munera humanas mentes excæcare, judicia sana corrumpere, justorumque causas sape & vertere solere. Ideoque non immerito dubitatur, utrum Legatis, quibus sape res gravissimæ committuntur, munera accipere, concessum sit? Negabat id olim lex Atheniesium, docente Xenophonte l. 7. ter. Græc Denegat hodie dux Moscovitarum, qui legatu redeuntibus munera aufert. Idem Veneti suis interdicunt, idque ob causam modò diabolam. Et parum abest, quin & ipsi assentiamur, & in negativam consideramus. Sed cum munera non omnia eiusdem sint generis & farinae; distinguimus inter ea lautia, quæ in eum finē dantur, ut legati corrumpantur: & in inter ea, quæ honoris & benevolentiae ergo offruntur, ut Romanus in more erat, qui ferè nunquam Legatos ad se missos indonates dimiscebant. Ergo etiam hic locum habeat: Nec omnia, nec quovis tempore, nec ab omnibus.

### QUÆSTIO VIII.

An bella maritima præstent terrestribus?

Quemvis hic suo facile patimur abundare iudicio: nostra tamen si mens aperienda est in affirmativam magis inclinamus, quæ ob bascæ rationes arrides: 1. Quod bella marina minori apparatu tum armo-

rum, eum equorum gerantur, quam terrestria. 2. Quod disciplina in iis  
sanctorior observari & conservari queat. In marinis enim minor est oc-  
casio petulantiae militaris, depraedationum quoq; & vastationum anfa-  
militibus absconditur cum è contrario terrestria fere nunquam sine mul-  
torum oppidorum, pagorum & agrorum detinimenta & jactura per-  
gantur.

### QVÆSTIO IX.

An leges scriptæ in politia sint necessariæ?

Summam certarum legum in civitate necessitatem facile depre-  
hendit is, qui earum utilitates consideraverit, & vicissim incommoda  
quibus civitas certis legibus destituta exposita est, animo perpendet.  
Quae enim quæcivitas unquam absq; his diu in statu felici consistere  
potuit? Ha simplices erudiant, pertinacibus frenum & compedes inji-  
ciunt, errantes in viam reducunt. Quid enim sapientes etiam inter-  
dum hallucinantes (errare namq; hominis est proprium) corrigit & e-  
mendat, quid Tyrannos, quid improbes judices coercet? Leges faciunt.  
Unde sapienter à quodam sapiente dictum est: ubi summa est legum au-  
toritas, ibi minimum tyrannidis. Est ut omnia uno complectar verbo: ut  
mundus Sole, ita civitas legibus carere nequit.

### QVÆSTIO X.

Quæ sit origo Legum?

Non instituti nostri est, varias & hujus questionis opiniones re-  
censere. Inter veteres legumlatores haud pauci reperti fuere, qui Leges  
suas à Diis se accepisse glorianti sunt: hic Jovem, ille Appolinem suarum  
legum authorem jactitabat. De quibus Plutarchus, Livius, & alii pas-  
sim consuli possunt. Omnia autem eò tendebant, ut quandam auroris  
tatem legibus conciliarent. Et quamvis non incredibile sit, nonnullas  
legis Mosaicæ partes ad eos pervenisse, tamen ut breviter concludamus,  
dubium nullum est, nonnulla legum semina à Deo in creatione insita in  
mentibus hominum adhuc superesse, que licet per lapsum valde obfor-  
rata, tamen non penitus extincta, & deinde legis arvina patefactione  
illustrata sint, ex quibus mens humana saniores leges quavis  
tempore depromere potuit. Vide plura apud

Piccol.grad. 10. Phil.mor. cap. 27.

Finis disputationis Secundæ.



AD  
VLRICVM VOLMARVM, AMI-  
cum suum Chariss: Philosophicè dispu-  
cantem.

**T**Heologus nunquam fueris, n: n juris acutus  
Interpres , magni si facias Sophiam :  
Quid tibi cum nugis ? Sic vulgus dicit ineptum.  
Ast ego; Rabula vel spermologus fueris,  
Ni Sophiam magni facias. Sapientibus ergo  
Quām benē præceptis excolis ingenium!  
Theologi . non spermologi sectaris honestum  
Nomen : nam sat linguam instruit ingenium.

Volcmarus Scribonius.





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

